

*sam* omittunt, & *solam* fidei obedientiam his necessitatibus & assultibus expositam referunt? Bone Deus, quam imperitè! Fidei obedientia hic non modò non significat obedientiam, quatenus à fide distincta est, sed præcipuè ipsam fidem, quæ obedientia fidei dicitur, quia præstatur Legi fidei, Rom. iij. 27, & obedientiam, quatenus ex fide fit & sine fide fieri non potest: quod ex ipsis verbis Remonstrantium colligere Censor debuerat, ac potuerat. Nam universam hominum fidelium vitam & præsertim ipsam fidei obedientiam dicunt expositam & obnoxiam esse variis periculis, tentationibus & assultibus. Mirum autem cur id non aliunde etiam collegerit. Nam Remonstrantibus antea attribuit, quod solam fidem liberam faciant, obedientiam autè planè necessariam. Hoc si ita est, an ergò obedientiam periculis expositam esse & assultibus obnoxiam dixissent, non autè fidem? Contra dicere debuissent. Et ita est. Fides ipsa præcipuè & ante omnia impetitur a satana. Ista arce salva, omnia constant. Fide quassata, cætera facillè nutant ac vacillant: Fidei vis magna est, nec tam facillè est credere, ut quidam somniant. Magno conamine opus est, ut Deo & Christo firma fide adhæreas, ut credas quod non vides, imò ut videre nolis, sed credere: Levi momento impellitur animus, in hoc carnis paradiso, & sensuum diversorio. Hinc vigili cura & assidua precatatione opus est, ut in credendo perseveret. Atq; hæc Remonstrantium mens etiam est in secundo membro, cum dicunt; *se unius Dei auxilio & gratuito beneficio præstare posse, imò reipsa præstare, quæcumq; ad obtinendum felicitatem, factu aut præstitum sunt necessaria.* Inter ea enim, quæ factu aut præstitum necessaria sunt, fides principem locum tenet. Hæc enim primo & ante alia omnia, nedum minus quam alia omnia, mandatur nobis. Quod autem nobis mandatur, id præstare ac facere nostrum est. Hinc fides dicitur *opus Dei*, Joan. vj. 29, & credere, *operari opera Dei*, ibid. *Operari non cibum qui perit, sed qui permanet*, vers. 27.

*Sed quomodo, quæso, inquit, Remonstrantes hic adferunt, se per implorationem divini auxilij agnoscere, quòd Deo tanquam summo & primo auctori universam felicitatem suam debeant, quæ eam magna ex parte libero suo arbitrio deberi volunt, &c. ?* Quasi verò libero suo arbitrio quicquam deberi, nedum maximam partem deberi possit credere, qui Deo, ut summo & primo auctori, universa quæ habet, accepta referre debet. Id sanè tantundem est, atq; si quis de mendico omnium rerum egeno dicat, eum Regi ac Principi, a quo ditatus & locupletatus est, non debere universam felicitatem istam suam, sed

magna

Redarguitur Censoris inadvértentia, quod Fidei obedientiam contra distincte ab ipsa Fide in declaratione positam crediderit.

Fides præcipuè variis satanæ assultibus exposita est.

Libertum arbitrium non impedit, quominus Deus, primus & solus auctor sit, universæ nostræ felicitatis.